



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 298. An expediat consulere Confessarios, quando agitur de aliquo  
promove[n]do.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

odiosam & consequenter ex hac parte non est contra sigillum. Ita Stoz, qui ad rationem dubitandi respondet non esse contra sigillum, si peccatum pœnitentis per accidens & indirectè reveletur per aliquid, quod unice est necessarium ad servandum & redintegrandum sigillum, & ad exercendam potestatem à natura, Deo & Christo datam pro conservatione sigilli. Utraque sententia est probabilis, *Gobati* tamen sententia videtur probabilior, maximè in casu, quo pœnitens expressè negaret licentiam, quòd enim tum impediatur potestas Ecclesiæ, est per accidens, & rarò fiet, quia pœnitens communiter consentiet, uti & plerumque consentire tenetur, ne ejusmodi scelera communi bono ita perniciofa per impunitatem invalescant.

Q. 298. *An expediat consulere Confessarios, 2001.*  
 quando agitur de aliquo promovendo. R. Affirmat *Opstraedi* in Præfatione Pastoris boni, quia Confessarius optimè novit spiritum interiore. Sed dicendum est non expedire, tum quia eorum sciencia est tantùm pro gubernatione fori interni; tum quia datur occasio pœnitentibus, ut sincerè non confiteantur, sed quærant habere bonum nomen apud Confessarios; tum maximè quia datur incautis Confessariis occasio frangendi sigilli vel erroris causandi, quamvis enim Confessarius sciat pœnitentem esse ineptissimum, attamen cogitur commendare velut dignum, ne silentium vel frigida commendatio det suspicionem mali. Quòd si unum commendet & non alterum, contra hunc iterum movet suspicionem: Itaque rogatus dicat, quæ aliunde publica sunt & faciunt ad

commendationem, item (si ita est) esse frequentem & constantem in suscipiendis Sacramentis &c. Quod si per hoc moveret suspicionem mali, addat absolute esse devotum, pium & probum.

2001.

## DUBIUM II.

*Quale sit præceptum & quæ obligatio confessionis.*

**R**esp. Præceptum confitendi, tum divinum, tum ecclesiasticum, sub mortali obligat omnes, ac solos baptizatos, qui habent mortale: illud in articulo mortis; hoc, verò, postquam ad annos discretionis pervenerint; & simul ut confiteantur proprio Sacerdoti, vel alteri, cum ejus venia, semel in anno, computando ab una confessione ad aliam, ut quidam docent, vel ab initio Januarii ad finem Decembris, ut habet communior; vel denique à Paschate ad Pascha, ut consuetudo ferè obtinuit, propter communionem, *Suar. d. 35. s. 2. Vasq. q. 90. a. 2. Lug. d. 15. sect. 3. 4. 6. & 7. Con. d. 1. d. 6. Unde resolves:*

I. Tenentur hoc præcepto. 1. Hæretici & Apostatæ, pueri doli capaces, saltem post septennium. *vid. Dia. p. 4. tr. 3. Res. 52. Lug. num. 144. & 149.* 2. Ingrediens periculofam navigationem, vel conflictum. 3. Mulier tenera primùm paritura, vel quæ solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adjudicatus. 5. Qui signa habet mortis naturalis.

II. Improbabile est, quod docet *Sa. V. Confessio*, Ecclesiam non obligare ante pubertatem, cum anni discretionis citiùs attingantur, & con-